

enim nihil ponit in re; ergo non officit simplicitati rei.

Inst. 1. Compositio etiam rationis, officit summae Dei simplicitati; atqui distinctio rationis, importat compositionem rationis in Deo: nam posita tali distinctione, erit in Deo distinctorum unio, quod importat compositionem.

Resp. Dist. Unio distinctorum sese invicem excludentium importat compositionem, *conc.* distinctorum sese invicem includentium, *nego*. Porro attributa et essentia in Deo sese invicem includunt. Quamvis enim mens attributa sine essentia concipiatur, eam tamen non excludit ab eis, sed ab ea tantummodo abstrahit per diversos conceptus inadaequatos, rem attingendo sub diversis notionibus. Qui conceptus non sunt falsi, tum quia *abstrahentium non est mendacium*: tum quia sunt conformes objecto suo inadaequato.

Objicies 2. Inter attributa et essentiam divinam, sola debet admitti distinctio rationis ratiocinantibus: quia nullum est fundamentum reale illa distinguendi mentaliter.

Resp. Nego ant. et ejus prob. Nam illud fundamentum, est summa et infinita Dei perfectio, quam mens propter sui tenuitatem, uno conceptu exhaustire non potest.

Quaeres 7. Quomodo attributa essentiam, et essentia attributa sese in suo conceptu essentiali includant?

Resp. Sese includunt in sensu identico, quia nulla distinctione reali distinguuntur, suntque una simplicissima entitas. Sed non se includunt in sensu formalis, saltem explicite, quia attributa non sunt de conceptu formalis abstractivo essentiae, nec vice versa.

Quaeres 8. Quomodo essentia de attributis, et attributa de se invicem ac de essentia praedicentur?

Resp. 1. Attributa et essentia divina in concreto, de se invicem praedicantur: sic dicitur: *Deus est justus: justus est Deus, misericors est justus*. Ratio est, quia habent unum commune subjectum, aut quasi subjectum,

Resp. 2. Concreta de abstractis, abstracta de concretis, et abstracta de abstractis, de se invicem praedicantur in sensu reali: sic recte dicitur: *Deus est justitia; deitas est justitia; justitia est misericordia*. Ratio est, quia sunt unum et idem in omni sensu reali: actuali, ut pra probatum est.

Resp. 3. In Deo abstracta de abstractis non possunt de se invicem praedicari in sensu formalis per mentem, sic non potest dici: *Justitia est misericordia*: quia abstracta secundum sensum formalem considerata, sunt distincta; ergo diversos habent conceptus.

DISSERTATIO IV.

De Attributis divinis speciatim.

CAPUT I.

De simplicitate Dei.

Quaeres 1. Quid sit simplicitas Dei?

Resp. Est negatio compositionis.

Quaeres 2. Quotuplex est compositio?

Resp. Duplex. *Realis*, quae est partium realiter distinctarum unio: (si partes sint physicae, compositio dicitur *physica*; si metaphysicae, dicitur *metaphysica*) et *compositio rationis*, quae est plurium partium sola ratione distinctarum unio: haec dicitur etiam *logica*.

Quaeres 3. Utrum compositio physica habeat locum in Deo?

Resp. Negat. Nam omnis compositio physica, fit ex materia et forma, vel ex subjecto et accidente; atqui, 1. Deus non constat ex materia et forma, cum sit substantia mere spiritualis: *Spiritus est Deus*, inquit Christus Joan. 4. et eos qui adorant eum, in spiritu

et veritate oportet adorare.... 2. Non constat ex subiecto et accidente, cum sit immutabilis; ergo, &c.

Objicies 1. Scriptura, variis in locis, membra humana Deo tribuit, v. g. aures, oculos; ergo, &c.

Resp. Dist. ant. Tribuit metaphorice, *conc.* proprie, *nego*. Per istas enim locutiones, designantur variae Dei perfectiones, quamdam cum facultatibus corporis analogiam babentes: sic per *brachia*, intelligit Dei omnipotentiam, quia in eo membro residet hominis fortitudo.

Inst. In Deo sunt affectiones corporeae, v. gr. poenitentia, ira, &c. Ergo.

Resp. Dist. Sunt in Deo, quoad effectum, quia nempe idem facit Deus erga creaturam quae eum offendit, quod agere solent homines, cum malefactores puniunt, et opera sua destruunt, quae fecisse illos poenitet, *conc.* quoad affectum, et interiorem animi motum, *nego*; alias Deus mutaretur, cum de non irato fieret iratus.

Objicies 2. Tertull. lib. contra Praxeam, cap. 7. videtur asserere Deum esse Corpus; ergo.

Resp. Dist. ant. Prout corpus opponitur nihilo et vacuo, *conc.* prout opponitur substantiae spirituali, *nego ant.* Agit enim contra Praxeam, qui Verbum divinum non distinguebat a Patre, dicens quod non sit, *nisi vox et sonus oris, et aer offensus*; quem ut argueret, dixit Deum esse Corpus, per *corpus* intelligens substantiam per se subsistentem, non molem extensam; quia ait: *Omne quod est, corpus est sui generis*, id est suo modo, et latissimo sensu.

Objicies 3. A creatione mundi, multa de novo advenierunt Deo, v. g. tituli creatoris, judicis, &c. ergo est compositus ex subiecto et accidente.

Resp. Dist. ant. Advenerunt Deo denominative, et objective per meram connotationem ad creaturas, *conc.* intrinsece, et subjective per ordinem ad divinam virtutem.

tem, *nego ant.* Nam Deus ab aeterno habet virtutem creandi, judicandi, &c. quae Deo non advenit, cum sit ipsi essentialis. Unde patet totam mutationem cadere in res creatas, quae ab uno statu transeunt ad alium.

Objicies 4. D. August. lib. 5. de Trinit. cap. 4. docet non omnia quae de Deo dicuntur, secundum substantiam dici; ergo aliqua de eo dicuntur secundum accidentia.

Resp. Nego conseq. Nam D. August. non opponit substantiam accidenti, sed relationi, asserendo, non cuncta, quae de Deo dicuntur, absolute dici, sed aliqua relative.

Quaeres 4. *Utrum compositio metaphysica ex essentia et existentia, vel ex natura et personalitate, habeat locum in Deo?*

Resp. Negat. Nam omnis compositio fit ex rebus distinctis; atqui, 1. existentia Dei, nequidem per mentem distinguitur ab essentia: Deus enim est *ens a se*; atqui *ens a se* includit existentiam in suo conceptu: ergo &c.... 2. Natura divina et personalitates neque realiter, neque formaliter ex natura rei distinguuntur, (ut superius probatum est) ergo, &c.

Quaeres 5. *Utrum in Deo sit compositio logica?*

Resp. Negat. Nam in omni composito ex genere et differentia, genus se habet, ut potentia perfectibilis et actuabilis a sua differentia; atqui in Deo, ente purissimo et actualissimo, nihil est per modum potentiae; alias actus perfectior cogitari posset; ergo, &c. Hinc SS. Patres cum Cyrillo Alex. damnant: *Alienum est a ratione, genus in Deo ullum nominare*.

Objicies: Compositio, quae est in sola mente, nihil imperfecti, arguit in Deo; atqui compositio ex genere et differentia, est in sola mente; ergo.

Resp. Nego min. Nam omnis compositio arguit aliiquid in Deo, quod se habet per modum potentiae; atqui omnis potentialitas repugnat enti perfectissimo; ergo.

Inst. 1. Illa potentialitas, est pure mentalis; ergo non repugnat Deo.

Resp. *Nego conseq.* Efficit enim ut ens purius Deo excogitari possit, illud nempe in quo non esset talis potentialitas: hoc autem repugnat Deo.

Inst. 2. Distinctio fundamentalis, non repugnat Dei simplicitati; ergo nec compositio fundamentalis.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est, quod distinctio fundamentalis nihil aliud arguat, quam summam Dei eminentiam, quam mentis nostrae tenuitas unico conceptu attingere non potest. Econtra compositio fundamentalis dicit actum et potentiam, quae magna est imperfectio, puritati Dei maxime nociva.

Quaeres 6. *Utrum Deus possit venire in aliorum compositionem?*

Resp. Potest venire in aliorum compositionem quae dicitur *cum his*; sed non potest venire in aliorum compositionem quae dicitur *ex his*.

Prob. *Prima pars:* Quia compositio *cum his*, fit cum plura, ad constituendum compositum, ita conjunguntur, ut unumquodque eorum remaneat actus; atqui Deus potest venire in ejusmodi compositionem: nam re ipsa Verbum divinum sic componitur in Incarnatione, in qua solius termini rationem habet; ergo.

Prob. *Secunda pars;* Quia compositio *ex his*, fit ex duobus, quorum unum est materia, alterum forma; atqui ea compositio repugnat Deo; qui si haberet rationem materiae, esset in potentia ad formam; si haberet rationem formae, dependeret a materia tanquam a subiecto; ergo, &c.

Objicies. Verbum in Incarnatione, receptum est in natura humana tanquam in subiecto quod informavit ac perfecit; ergo persona Verbi venit in compositionem *ex his*, tanquam forma.

Resp. *Nego ant.* Nam actus informans, simul cum subiecto, componit unicam naturam; atqui in Christo

sunt duae naturae; ergo, &c. Hinc *Almaricus* in Concilio Lateran. IV, insanus dictus est, quod assereret Deum esse causam formalem hujus mundi.

C A P U T II.

De infinitate et perfectione Dei.

I *Nota.* Infinitum illud est quod nullos habet terminos. Porro tribus modis potest res aliqua dici infinita, nimirum secundum quantitatem molis, secundum virtutem, et secundum essentiam, ita ut infinita sit simplificiter, et in omni genere perfectionis.

Quaeres 1. *An Deus sit infinitus quantitate molis?*

Resp. *Negat.* Nam quantitas molis competit solis corporibus quae sunt extensa in longum, latum et profundum: atqui Deus non est corpus; ergo.

Quaeres 2. *An Deus sit infinitus secundum virtutem?*

Resp. *Affirm.* Nam est omnipotens, ut suo probatur loco.

Quaeres 3. *An Deus sit infinitus secundum essentiam?*

Resp. *Affirm.* Nam 1. de Deo dicitur Baruch 3. *Magnus est, et non habet finem.* Ergo in Deo est plenitudo omnis esse,.... 2. Deus est *ens a se*; ergo nullos habet terminos suae perfectionis: nihil enim a se ipso limitatur, sed a libera voluntate, vel impotentia suae causae; Deus autem nullam sui esse agnoscit causam.

Objicies: Corpus infinitum omnem occupat locum, a quo omnia alia corpora excludit: ergo si Deus esset ens infinitum, excluderet omnia alia entia.

Resp. *Nego conseq.* Disparitas est; quod sit de essentia Corporis infiniti, ut omnibus omnino locis coexistat cum impenetrabilitate, ac proinde non compatiat alia secum corpora in loco; at vero infinito secun-

*

dum essentiam, non est essentialie, ut excludat omnes res a se distinctas, sed sufficit, ut omnes earum perfectiones, vel formaliter vel eminenter contineat.

Quaeres 4. Quotuplicis generis sunt perfectiones?

Resp. Triplicis. *Nimirum, simpliciter simplex*, quae *melior est ipsa, quam non ipsa*, id est, quam melius est habere, quam non habere. *Simplex*, quae licet nullam imperfectionem importet, tamen incompossibilis est cum alia aequali perfectione, sic *paternitas* in Deo incompossibilis est cum *filiatione*. *Perfectio secundum quid*, quae in suo conceptu formaliter aliquam includit imperfectionem, ut esse *Corpus*.

Quaeres 5. Quotupli modo unum continetur in alio?

Resp. Triplici. 1. *Formaliter*, quando in alio continetur secundum propriam formam, sic animalitas continetur in homine. 2. *Eminenter*, quando nobiliori modo continetur in alio, quam in subjecto in quo reperitur secundum propriam suam formam. 3. *Virtualiter*, quando in alio est tanquam in causa, sic planta continetur in semine.

Quaeres 6. Quomodo perfectiones creaturarum simpliciter simplices continentur in Deo?

Resp. Continentur formaliter; quia praedicantur de Deo in abstracto, et secundum propriam formam, juxta illud Job 12. *Apud ipsum est fortitudo et sapientia*.

Objicies: Sapientia et bonitas creaturarum sunt finitae et imperfectae, ergo Deus illas non continet formaliter.

Resp. Dist. Sunt finitae et imperfectae, ratione subjecti ex natura sua finiti, *conc. ratione sui, nego*. Iliae enim virtutes ex sese possunt esse perfectae et infinitae, unde in subjecto infinito, sunt infinitae.

Quaeres 7. Quomodo perfectiones creaturarum simplices continentur in Deo?

Resp. Continentur formaliter: nam quod constitutus SS. Trinitatis personas, continetur in Deo formaliter.

atqui perfectiones simplices, nempe relationes divinae, constituunt tres SS. Trinitatis personas, ergo, &c.

Quaeres 8. Quomodo perfectiones creaturarum secundum quid, continentur in Deo?

Resp. 1. Non continentur formaliter, quia dicunt imperfectionem, imo excludunt maiorem perfectionem, v. g. esse *corpus*, excludit ens mere *spirituale*; ergo.

Resp. 2. Continentur eminenter, quia in Deo continentur nobiliori modo, quam in subjecto in quo reperiuntur secundum propriam suam formam, cum in Deo sint ab omni prorsus imperfectione defocatae; ergo in Deo continentur eminenter.

CAPUT III.

De immutabilitate, incomprehensibilitate, et ineffabilitate Dei.

Quaeres 1. Quid est immutabilitas?

Resp. Est negatio mutationis: unde immutabile dicitur, quod aliter non potest se habere, ac est.

Quaeres 2. Quotuplex est mutatio, seu mutabilitas?

Resp. Duplices, *realis*, seu *intrinseca*, quae fit per receptionem, aut amissionem alicuius positivae perfectionis, ut cum ligaum mutatur in ignem; et *impropria*, seu *extrinseca*, quae fit per novam denominationem extrinsecam, absque receptione, vel ammissione ullius qualitatis positivae. De mutatione reali hic agitur.

Quaeres 3. Utrum Deus sit omnino immutabilis?

Resp. Affirm. Nam 1. Deus dicit Malach, 3. *Ego Dominus, et non mutor....* 2. Non est mutabilis secundum substantiam, quia est immortalis: nec secundum tempus, quia est aeternus; nec secundum locum, quia est immensus; nec secundum quantitatem, quia non

est corpus; nec secundum perfectionem, quia est infinitus; nec secundum operationem, quia quaecumque Deus cognoscit et vult, ab aeterno cognoscit et vult; ergo, &c.

Objicies: Deus transit de loco in locum, ait enim Genes. 11. *Venite, descendamus, &c.*

Resp. Dist. Transit metaphorice, quia ita agit quasi moveretur, *conc.* vere, *subdist.* sub specie humana assumpta, *conc.* juxta propriam naturam, *nego*. Porro, Genes. 11. sermo est de Deo sub specie humana apparente.

Inst. 1. Deus de non creante, factus est creans; ergo mutatus est intrinsece.

Resp. Dist. ant. Factus est creans, per actum quem semper habuit, *conc.* per actum qui ei de novo advenit. *nego ant.* Itaque per creationem nulla nova entitas Deo advenit, sed nova denominatio et relatio ad creaturem: nihil enim vult in tempore, quod non velit ab aeterno, unde actus ejus est aeternus.

Inst. 2. D. August. dicit: *Deus non mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum;* ergo Deus mutatur.

Resp. Dist. conseq. Mutatur extrinsece, quatenus eodem modo se gerit, ac si mutaret sententiam, *conc.* intrinsece, quasi novum volendi actum recipere, *nego*. Itaque, sive Deus puniat, sive condonet, punit et condonat per unum et eundem actum, tendentem in diversa objecta, et ideo tota mutatio est in homine.

Inst. 3. Deus est intrinsece liber; ergo potest mutare sententiam intrinsece.

Resp. Nego conseq. Quia cum libertas Dei sit perfectissima, potest unico actu, utpote infinito, velle, et nolle, amare et odisse; ille autem actus, entitative spectatus, est ipse Deus.

Quaeres 4. *Utrum Deus possit comprehendendi ab intellectu creato?*

Resp. Negat. Nam 1. Deus, Jerem. 32. dicitur, *incomprehensibilis cogitatu....* 2. Quia comprehendere Deum, est divinam essentiam cognoscere, quantum cognoscibilis est, ipsamque omni ex parte exhaustire; atqui non potest sic cognosci, nisi per cognitionem infinitam; cuius non est capax intellectus creatus; ergo.

Objicies: Beati vident Deum totum, ut est in se; ergo comprehendunt Deum.

Resp. Dist. ant. Vident Deum totum, et non totaliter, *conc.* vident Deum totum, et totaliter, *nego*. Porro ad comprehensionem Dei non sufficit, ut totus videatur, sed insuper ut videatur totaliter, id est, tam perfecte ac videri potest et exigit, ac consequenter cognitione infinita, cuius mens creata non est capax.

Inst. 1. Deus est simplicissimus; ergo non potest videri totus quin simul videatur totaliter.

Resp. Nego conseq. Quia ut videatur totaliter, necesse est, ut videatur omni modo quo videri potest et exigit; atqui videri potest et exigit modo finito; ergo.

Inst 2. D. August. Epist. 112. ait: *Illud comprehendendi, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem.* Atqui nihil Dei latet beatos; ergo.

Resp. Dist. maj. Ut nihil lateat videntem, tum quoad rem visam, tum quoad omnem amplitudinem ejus cognoscibilitatis, *conc.* quoad rem visam dunataxat, *nego*. Porro cognitione beatorum, cum sit finita, non adaequat totam cognoscibilitatem Dei, qui modo infinito exigit videri.

Quaeres 5. *An Deus sit ineffabilis?*

Resp. Affirm. Ita definitur in Conc. Lateran. IV. cap. firmiter, de summa Trinit. *Credimus quod Deus sit.... incomprehensibilis, et ineffabilis.*

Quaeres 6. *Quo sensu Deus dicatur ineffabilis?*

Resp. Hoc sensu, quod a viatoribus, nullo nomine

perfecte, et ut est in se, possit exprimi: quia cum perfecte, et ut est in se non cognoscunt.

CAPUT IV.

De invisibilitate Dei.

Quaeres 1. **Q**uotuplex sit cognitio Dei.

Resp. Duplex. *Abstractiva* nempe, qua Deum, per medium ab eo distinctum, nimirum per creaturas, cognoscimus; et *intuitiva*, qua Deum, ut in se est, seu essentiam Dei cognoscimus: de hac nunc agimus.

Quaeres 2. **U**trum Deus videri possit oculis corporis?

Resp. Negat. Nam in Scriptura Deus dicitur *invisibilis* 1. ad Tim. 1. *Regi saeculorum immortali et invisibili*. Et *visibilis*, 1. Joan. 3. *Videbimus eum sicuti est*. Ergo est *visibilis* et *invisibilis*: *visibilis* per mentem, et *invisibilis* oculo corporeo. *Ratio est*, quia Deus, cum sit purus spiritus, non est coloratus; ergo est extra objectum adaequatum oculi corporei; ergo oculus corporeus non potest, etiam de potentia Dei *absoluta*, elevari ad *intuitivam* Dei visionem.

Objicies 1. Scripturae textus, quibus asseritur Jacob et Moysen vidisse Deum *facie ad faciem*, intelligi debent de visione Dei per oculum corporeum; ergo.

Resp. Dist. ant. intelligi debent de visione Dei, sub specie aliena et assumpta, *conc.* in propria natura, *nego*. Viderunt ergo Deum sub specie Angeli Deum repraesentantis, non vero viderunt essentiam divinam.

Objicies 2. Job. c. 19. ait: *In carne mea video Deum meum*; ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Cum D. August. qui, lib. 22. de *Civil. Dei* cap. 19. observat, Job dixisse, se, post

resurrectionem, visurum Deum *in carne*, id est, resumpto corpore, *non per carnem*, sed per mentem.

Inst. 1. Job addit: *Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt*. Ergo.

Resp. Neg. conseq. Nam Job ibi non loquitur de Deo in se, sed de Deo redemptore, qui in carne assumpta potest videri oculo corporeo.

Inst. 2. Job cap. 42. ait *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*. Atqui ibi loquitur de Deo in se; ergo.

Resp. Nego min. Loquitur enim de Deo in sua providentia, quasi diceret: multa audieram de effectibus tuae providentiae: nunc autem, cum a tot miseriis sanus evaserim, illos proprio experimento, quasi ad oculum, video.

Objicies 3. Visus est potentia cognoscitiva, Deus vero objectum cognoscibile; atqui potentia cognoscitiva potest extendit ad quodlibet objectum cognoscibile; ergo &c.

Resp. Dist. maj. Est potentia cognoscitiva, particularis et ad unum objectum determinata, nempe ad coloratum, *conced.* universalis, *nego*. Deus autem non est coloratus.

Inst. Deus, per absolutam suam potentiam elevat ignem corporeum ad comburendas animas, aquam in baptismo ad producendam gratiam, licet cum illis effectibus nullam habeant proportionem; ergo a pari oculis corporeus elevari potest ad videndum Deum intuitive.

Resp. Nego conseq. Disparitas est: quod ignis corporeus, et aqua baptismalis, non agant modo vitali, et consequenter sint tantum causae instrumentales effectuum, ad quos producendos a Deo assumuntur; in causis autem instrumentalibus Deus proportionem aliquam cum effectu producendo, non supponit. Contra oculus corporeus, cum agat vitaliter, est essentia-

liter causa principalis effectuum quos operatur, ad quos seipsum movere debet; ergo aliquam, saltem inchoatam, cum illis effectibus proportionem habere debet.

Quaeres 3. Utrum Deus per solas naturae vires possit ab intellectu creato videri intuitiva?

Resp. Negat. Nam 1. ita definitum est in Concilio Vienensi contra Beguardos... 2. Isaia c. 64. dicit: *Oculus, mentis, non vidit Deus, absque te, (dante et elevante) quae praeparasti expectantibus te.... Ratio est, quia visio intuitiva est actus supernaturalis, qui non potest elici per solas naturae vires.*

Objicies: Deus intuitiva videndus est intra latitudinem objecti intellectus specificativi; ergo potest naturaliter illius visiones consequi.

Resp. Dist. ant. Est intra latitudinem objecti intellectus specificativi, ipsi improportionati, *conced.* proportionati, *nego.* Licet ergo Deus clare videndus sit intra latitudinem objecti intellectus, quatenus est potentia visiva; tamen cum sit ordinis supernaturalis, ipsi est improportionatus, nec potest illum intuitiva videre, nisi aliquo supernaturali auxilio roboretur.

CAPUT V.

De visibilitate Dei.

Quaeres 1. Utrum intellectus creatus possit Deum videri?

Resp. Potest per quoddam auxilium Dei supernaturale: siquidem, Matth. 5. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Apost. 1. Cor. 13. ait: *Videmus nunc per speculum et in aenigmate, tunc autem, in patria, facie ad faciem, id est, intuitiva.... 2.* Haec veritas, quae definita est in Concilio Florent.

demonstratur ex Traditione; Nam D. Irenaeus, l. 4. contra haereses, cap. 20 ait: *Participatio Dei, est videre Deum.... homines igitur videbunt Deum, ei vivent per visionem, immortales facti, et pertingentes usque ad Deum.* Et D. Clem. Alex. l. 5. strom. sic loquitur: *Qui sunt mundo corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.*

Objicies 1. In Scripturis Deus dicitur *invisibilis;* ergo.

Resp. Illi textus intelliguntur, vel de visione corporaea, vel de visione comprehensiva, vel de visione per solas naturae vires, vel de visione intuitiva in hac vita, non autem de visione intuitiva in altera vita.

Objicies 2. Multi SS. Patres asserunt Dei naturam non posse intuitive videri; ergo.

Resp. Nego ant. Nam SS. Patres unice rejiciunt possibilitatem visionis Dei comprehensivae, contra Anomaeos, qui, ut ait Div. Chrysost. Hom. 2. contra Anomaeos, *Stulte non minus quam impie jactitabant, se ita Deum nosse, ac Deus seipsum novit.* Apposite ergo ad controversiam, quam versabant, exponi debent haec eorum verba, *videri, et non videri,* quae pro varia eorum significatione de Deo dici possunt; constat enim SS. Patres vocabula, *videri, et comprehendendi,* tanquam synonyma usurpasserentur.

Objicies 3. Inter mentem finitam et Deum infinitum, nulla est proportio; ergo.

Resp. Nulla est proportio *entitatis,* quae est similitudo in natura, sed est proportio *habitudinis,* in eo positata, quod res aliqua continetur intra objectum alicuius potentiae, nam Deus continetur intra verum, quod est objectum intellectus: illa autem proportio habitudinis sufficit, ad Deum, cum supernaturali auxilio, videndum.

Quaeres 2. Utrum aliquibus puris hominibus in hac vita positis fuerit concessa intuitiva Dei visio?

Resp. Negat. Nam Moysi a Deo postulanti, ut suam